Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 7
Quelle:
Copyright:

ſtamento intelligi velim. Orditur illud *fol.* 101. ab Epiſtola *Hieronymi* ad *Damaſum*, ab ejus generali in Evangelia, et peculiari in *Matthaeum* Praefatione, quae in *Bibliis gloſſatis* proſtant. Subeunt eleganter depicti *Canones* harmonici *Euſebii*, tum IV. *Evangelia*, quorum detrimenta jam ſuperius indicata ſunt, charactere minori, magis denſato, et pallido, minusque ornate, quam quidem reliqua Codicis, exarata. Cum *Actibus Apoſtolorum fol.* 119. redit luculenta illa manus, priſtinusque ornatus. Praeferunt illi Argumentum, quod incipit: *Lucas natione Sirus cuius laus in Evangelio* &c. quodque etiam in *Bibliis gloſſatis* legitur. In eo *Lucas ſine crimine in uirginitate permanens* dicitur. Elenchus ſubjectus Capitula LXXVII. cenſet. *Fol.* 132. ineunt *Epiſtolae* Canonicae *Jacobi*, *Petri*, *Johannis* et *Judae*, omnes Capitulorum Elenchis, et Argumentis inſtructae praevio illo Prologo: *Non ita ordo eſt apud grecos qui integre ſapiunt* &c. qui in *Bibliis Gloſſatis* nimis fidenter tribuitur *Hieronymo*, cujus tamen lacinias in eo agnoſcas. Querelae, quas ignotus ejus conſarcinator occaſione triplicis teſtimonii *Joh.* I. c. 5. effundit contra *infideles translatores*, dirigi potius contra librarios aut rudes, aut oſcitantes deberent, cujus rei luculentum praebet exemplum vel ipſe Codex noſter, in quo locus ille ſic habet: *Quia tres ſunt qui teſtimonium dant* in celo. pater uerbum et ſpiritus ſanctus. *Et* hii tres unum ſunt. Et tres ſunt ſpiritus aqua ſanguis et caro et tres unum ſunt. quia tres ſunt *qui teſtimonium dant in terra. ſpiritus. aqua et ſanguis.* et tres unum ſunt. Sicut tres ſunt. qui teſtimonium dant in celo. pater. uerbum. et ſpiritus ſanctus. *Et tres unum ſunt.* E quibus verbis ea, quae hic literis rotundis ſcribuntur, partim eraſa, partim inducta ſunt. *Epiſtolas* Canonicas excipit *Apocalypſis fol.* 138. Prologo et Indice Capitulorum XLIII. inſtructa. Prologus incipit: *Johannes Apoſtolus et euangeliſta a domino chriſto electus atque dilectus* &c. et in *Bibliis gloſſatis* perperam *Hieronymo* datus eſt. Demum a *fol.* 144. p. 2. ordiuntur *Epiſtolae Paulinae* praeeunte triplici Praefatione. Prima inſcribitur: *Incipit Argumentum In Epiſtolam Ad Romanos.* Male quidem; omnium enim Epiſtolarum Argumenta edifferit ignotus Autor, ita auſpicatus: *Epiſtole pauli ad romanos cauſa hec eſt. Eccleſiam e duobus populis* &c. Alterius titulus eſt: *Item Aliud Eiusdem.* Et in margine alia manu: *Incipit prologus ieronimi presbiteri in epiſtolas pauli.* Initium: *Primum queritur quare quemadmodum poſt euangelia* &c. Infra *Hieronymi* dignitatem, licet et *Biblia gloſſata* ei tribuant. Tertiae Rubrum eſt: *Incipit Argumentum ſolius Epiſtole ad Romanos.* Hanc quoque mox dicta habent *Biblia* hujusmodi initio: *Romani ſunt. qui ex Judeis gentibusque crediderunt* &c. Praefationes excipit Capitulorum Elenchus una

cum